

Codice PONTIFICIUM CONSILIUM DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

ACTA ET DOCUMENTA PONTIFICIAE COMMISSIONIS
CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

CONGREGATIO PLENARIA

Diebus 20-29 octobris 1981 habita

14 NOV. 1991



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

1991

Card. Felici	374
Card. Seper	374
Card. Felici	375
<i>Suffragatio</i>	375
Exc.mus Castillo Lara	375
Card. Felici	375
Exc.mus Castillo Lara	375
Card. Felici	376
Exc.mus Castillo Lara	376
<i>Suffragatio</i>	376
Card. Felici	376
5a Quaestio - Ad cann. 335-339 - De Praelatura personali	376
Card. Ratzinger	377
Exc.mus Bernardin	378
Card. Hume	379
Card. Baggio	381
Exc.mus Tzadua	385
Card. Rosales	385
Card. Felici	386
Exc.mus Castillo Lara	386
Card. Felici	386
Exc.mus Castillo Lara	387
Card. Felici	387
Exc.mus Castillo Lara	387
Card. Felici	387
Exc.mus Castillo Lara	387
Card. Felici	387
Exc.mus Castillo Lara	387
Card. Ratzinger	388
Exc.mus Castillo Lara	389
Card. Krol	390
Card. Felici	390
Exc.mus Castillo Lara	391
Card. Felici	391
Card. Ratzinger	391
Exc.mus Castillo Lara	391
Card. Ratzinger	392
Card. Felici	392
Exc.mus Castillo Lara	392
Card. Felici	392
6a Quaestio - Ad cann. 636 et 639 - De apostolatu Institutorum	
Saecularium	393
Exc.mus Castillo Lara	393

Card. Palazzini	393
Exc.mus Castillo Lara	393
Card. Palazzini	393
Card. Felici	394
Card. Palazzini	394
Card. Felici	394
Card. Pironio	394
Card. Felici	394
Exc.mus Castillo Lara	394
Card. Felici	394
Exc.mus Castillo Lara	395
Card. Felici	395
Exc.mus Castillo Lara	395
Card. Felici	395
Exc.mus Castillo Lara	396
<i>Suffragatio</i>	396
Card. Felici	396
V Sessio – die 24 octobris 1981	397
Suffragationes de quaestione quinta quoad Praelaturas personales . .	399
Card. Felici	399
Exc.mus Castillo Lara	399
Card. Felici	400
Exc.mus Castillo Lara	400
Card. Felici	400
Exc.mus Castillo Lara	400
Card. Felici	401
Exc.mus Castillo Lara	401
Card. Felici	401
Exc.mus Castillo Lara	402
Card. Felici	402
Card. Ratzinger	402
Card. Felici	402
Card. Ratzinger	402
Card. Felici	403
Card. Ratzinger	403
Card. Felici	403
Card. Ratzinger	404
Card. Felici	404
Card. Ratzinger	404
<i>Suffragatio</i>	404
Card. Felici	404
Card. Ratzinger	405
Card. Felici	405
Card. Bafle	406

Card. Felici	406
Card. Ratzinger	406
Exc.mus Henríquez	406
Card. Felici	406
Exc.mus Henríquez	406
Card. Felici	406
Exc.mus Henríquez	406
Card. Felici	406
Exc.mus Henríquez	406
Card. Felici	407
Exc.mus Henríquez	407
Card. Felici	407
Exc.mus Henríquez	407
Card. Felici	407
Exc.mus Castillo Lara	407
Card. Felici	407
Exc.mus Henríquez	407
Card. Felici	408
Card. Siri	408
Card. Felici	409
Exc.mus Castillo Lara	409
Card. Felici	409
Exc.mus Castillo Lara	409
Card. Felici	410
Exc.mus Castillo Lara	410
Card. Felici	410
Exc.mus Castillo Lara	410
Card. Felici	410
Exc.mus Castillo Lara	410
Card. Felici	410
Exc.mus Castillo Lara	410
Card. Felici	411
Exc.mus Castillo Lara	411
Card. Felici	411
Card. Ratzinger	411
Card. Felici	411
Card. Parecattil	411
Card. Felici	412
Card. Muñoz Vega	412
Card. Felici	412
Card. Höffner	412
Card. Felici	412
Card. Ratzinger	413
Card. Felici	413
Card. Ratzinger	413
Card. Felici	414
 Animadversiones scripto missae vel traditae	414
Card. König	414
Card. Rugambwa	415
Exc.mus Pimenta	417

propositiones, quae discutientur postea iuxta elenchum Vobis etiam distributum. Propositiones « photocopiavimus » — sit venia verbi — ut recipimus, quia censemus quod melius est ad discussionem fovendam et praesertim ad praeparationem fovendam ut eas prae manibus habeatis. Et ne miremini — quis miretur — si in aliquo folio desint subsignationes quia ego recepi et certiores semper me feci de subsignationibus, sed non semper inveniebantur in uno folio, quia recepi quandoque quinque vel sex foliis. Ergo, aliquando habentur vel praesentantur tantum duae vel tres subsignationes; non est acceptio personarum, sed est quia subsignationes non aderant in unico folio, sed in pluribus foliis. V.g., in illa, quam recepitis a Card. Willebrands, quaestione oecumenismum spectante, in pag. 6 habetur tantum subsignatio Card. Hume, sed aderant et recognovi subsignationes decem Cardinalium.

CARD. FELICI

Semper circa eandem quaestionem vel ...?

EXC.MUS CASTILLO LARA

Si, semper; omnia iuxta normam.

Suffragatio

CARD. FELICI

Est opus Secretario. Quot sunt praesentes?

Placet 41 supra 53 ut Romano Pontifici quaestio proponatur de non includenda in novo CIC norma contenta in Motu pr. *Ingravescentem aetatem*, iuxta quam Cardinales octogenarii ius amittunt eligendi Summum Pontificem. Ergo obtinuit haec propositio.

5^a QUAESTIO

Ad cann. 335-339 - De Praelatura personali.

Proponentes: Cardd. Ratzinger, Hume, Primatesta, Muñoz Duque, Krol, Willebrands, Roy, Marty, Enrique y Tarancón; Exc.mi Bernardin, O'Connell, Stewart, Pimenta, MacNeil, Verschuren

Nunc transeamus ad *quaestionem 5am*, quae se refert ad canones 335 et 339, de Praelatura personali. Quisnam e decem proponit hanc quaestionem? Card. Ratzinger.

CARD. RATZINGER

Canones, qui hic in quaestione sunt, secundum nostram sententiam sicuti iacent accipi non possunt, non quasi exclusivitatem quandam principii territorialis defenderemus, sicut in libro dicitur, sed quia in hac structura ecclesiastica commiscentur et confunduntur quae propter suam intrinsecam differentiam sedulo distinguenda sunt.

1º Una ex parte adest *principium ecclesiale* seu constitutionale, secundum quod Praelatura personalis haberet indolem Ecclesiae particularis, sicuti sine dubio revera adest in Praelatura castrensi. Indoles specifica Ecclesiae particularis, breviter describitur. Unusquisque fidelis ad aliquam Ecclesiam particularem pertinet, quia Ecclesia universalis non aliter nisi in Ecclesiis particularibus existit. Pertinet ergo ad hanc Ecclesiam particularem non propter suas intentiones subiectivas neque propter voluntatem cuiusdam Praelati sive nonnullos fideles sibi adipiscendi sive nonnullos reiciendi, sed pertinet ad eam semper et exclusive ob certa criteria obiectiva, v.g., domicilium, ritus, servitium militare, etc.

2º Altera ex parte in canonibus supradictis adest *principium consociativum*, quia Praelatura personalis, sicut in schema concipitur, non solum pro cura illorum christifidelium qui ad eam pertinent, sed *etiam* ad opera pastoralia vel missionalia *extra Praelaturam*, id est in Ecclesiis localibus perfungenda constitui videtur. Sed hoc in casu aliquis fit membrum Praelature, si in servitium et fines illius Praelature secundum propriam intentionem intrare vult et ad hoc a Superiore ad normam statutorum accipitur.

3º Ex dictis sequitur schema Codicis sub nomine Praelature personalis duas res toto caelo diversas miscere, indolem nempe Ecclesiae particularis et sat diversam indolem consociationum liberarum ad fines apostolicos institutarum. Et ex hac confusione novum tertium quid oritur, quod eradicandum est, quia notionem Ecclesiae particularis et sic etiam notionem Ecclesiae corrumpt. Praelatura personalis potest esse solummodo aut ad instar Ecclesiae particularis aut aliqua consociatio, e.g. coetus in cardinationis. Qua de causa canones ad rem pertinentes mutandi sunt. Propositionem aliquam fecimus, quam nunc legere utile esset; in scriptis adest.⁶ Gratias.

⁶ Scripto exstat eiusdem Em.mi sententia: *Propositio ad canones "prelatura personali"*. Canone 335, § 2, 337, § 2, 339, § 2, uti iacent, *accipi non possunt*, quia laborant confusione diversorum principiorum: 1. Una ex parte adest *principium ecclesiale* seu constitutionale, secundum quod Praelatura personalis habet indolem Ecclesiae particularis, quod probatur

EXC.MUS BERNARDIN

Plures Patres Commissionis scriptos exhibuerunt modos de Praelaturis personalibus in novo Codice. Ante omnia animadverterunt Praelatu-

per verba canonis 339, § 2 "constitui valent Dioeceses vel Praelatura ... definitae". Etiam Vicariatus castrensis certocertius indolem Ecclesiae particularis (ad instar Dioecesis) obtinet. Sed omnis Ecclesia particularis constituitur *pro illis christifidelibus, qui ad illam pertinent*. Quisquis christifidelis ad aliquam Ecclesiam particularem pertinet nunquam propter suas intentiones subiectivas neque propter voluntatem Episcopi dioecesani sive nonnullos christifideles sibi adipiscendi sive nonnullos reiciendi, sed semper et exclusive ob certa criteria obiectiva (ex. gr. domicilium, ritus, servitium militare). 2. Altera ex parte in canonibus praedictis adest *principium consociativum*, quia Praelatura personalis, secundum conceptum Schematis non solum pro cura illorum christifidelium, qui ad eam pertinent, sed "etiam" ad opera pastoralia vel missionalia *extra Praelaturam*, id est in Ecclesiis localibus, perfungenda (can. 337, § 2) constitui videtur. Sed hoc in casu aliquis fit membrum Praelatura, si in servitium est fines illius Praelatura secundum propriam intentionem intrare vult et ad hoc a Superiore ad normam statutorum accipitur. Solumnmodo fuit conceptus Praelatura personalis, uti in M.P. *Ecclesiae Sanctae I*, n. 4 invenitur. 3. Schema Codicis sub nomine "Praelatura personalis" duas toto coelo diversas res subsumit, quod omnino eradicandum est, quia *notionem Ecclesiae particularis corruptit*. Praelatura sic dicta personalis potest esse solumnmodo aut ad instar Ecclesiae particularis aut aliqua consociatio, e.g. coetus incardinationis. Itaque pro diversis rebus et diversa nomina et diversi canones haberi debent. 4. Si nova forma Ecclesiae particularis indolis personalis revera necessaria habeatur – quae necessitas haud extra dubium est – illa nominari possit "Vicariatus personalis" (cfr. "Vicarius castrensis"); et sic distingueretur a conceptu sociativo coetus incardinationis, qui nomine "Praelatura personalis" comprehendendi valet (cfr. M.P. *Ecclesiae Sanctae*).

Contra erectione talium "Vicariatuum" stant difficultates sat graves, quae ex illis pro Episcopis localibus et pro cura ordinaria oriri praevidentur. Si autem haec necessitas nonobstantibus difficultatibus – sequendo etiam verba Concilii de "peculiaribus dioecesibus" (PO 10) – accipitur, Vicariatus hic personalis omnimodo distingui debet a coetu pro sola incardinatione clericorum saecularium instituto. Qua de causa canones ad rem pertinentes immaturi debent sicut sequitur in propositionibus. (pro Vicariatu personali cfr. can. 339 bis) (pro Praelatura personali cf. can. 341 bis). PROPOSITIONES: *Inscriptio Capitis I* ita sonet: "De ecclesiis particularibus deque Praelaturis personalibus". Ratio: Si de Praelatura personali in hoc Capite agitur, illa in inscriptione expresse memorari debet, quia non habet indolem Ecclesiae particularis.

Can. 335, § 1: In fine addatur "... erecta, necnon Vicariatus personales". Ratio: Si necessitas talium Vicariatuum admittitur, hoc loco nominari debet, quia indoles habet Ecclesiae particularis (ad instar Dioecesis). § 2: Deleatur in omni casu.

Can. 337, § 2: Deleatur in omni casu.

Can. 339, § 2: Deleatur in omni casu verba "item, ubi ... territorium definitae". Ratio: Vide supra.

Can 339 bis § 1: Ubi animarum cura id requirat constituvalet, auditis quarum interest Episcoporum Conferentiis, pro certo christifidelium coetu Vicariatus, complectens omnes et solos fideles alia ratione quam ritu determinata devinctos, sive in certo territorio habitantes, sive non. Huiusmodi est Vicariatus castrensis. § 2: Cura ordinaria christifidelium, ad Vicariatum personalem pertinentium, committitur Vicario, qui eos, cooperante presbyterio, tanquam proprii eorum pastor et Ordinarius personalis secundum statuta ab Apostolica Sede condita regat, et salvis semper iuribus Ordinariorum locorum. *Animadversio:* Si ne-

ram personalem, quamvis in Motu proprio *Ecclesiae Sanctae* intellegatur tamquam entitas administrativa, in novo tamen Codice videri cum Ecclesia particulari potius aequiparari. Secundum *Relationem*,⁷ verba « portio populi Dei », quae desumuntur ex Const. *Lumen Gentium* atque inveniuntur in canone 337, substituta sunt verbis « Christifidelium coetus ». Quod sane omnino placet. Attamen, collocatio canonum de Praelaturis personalibus in capite de Ecclesia particulari et mutatio illius conceptus Praelatura personalis, qui reperitur in *Ecclesiae sanctae*, ulteriore considerationem certissime postulant. Procul dubio, principium territorialitatis, quod ad modum *Relatio* adnotat, non potest haberi utpote elementum quod Ecclesiam particularem constituit. Ordinarium tamen est criterium quo communitates fidelium definiuntur tamquam Ecclesiae particulares, v.g., dioeceses. Necesse est igitur ut paucissimae sint exceptiones principii territorialitatis, ne Ecclesiae particulares praeiudicium patientur. Quam ob rem, novus Codex non debet admittere Praelaturas non territoriales nisi in casibus vere exceptionalibus, ut puta, in casu Vicarius castrensis. Normae ipsius Motu proprio *Ecclesiae Sanctae* utiles fuerunt atque efficaces, nec rationes eas immutandi, quae hucusque adductae sunt, satis esse videntur. Quocirca, plane faveo propositis Em.mi Card. Ratzinger, quae Vicariatus personales a Praelaturis personalibus accuratissime distinguunt.

CARD. HUME

Mihi permittatis, Venerabiles Patres, aliqua adiungere verba illis quae a Card. Ratzinger prolata sunt, cuius thesim ac rationes et ego amplectere velim. Etenim, nisi graves difficultates, in quas animadvertis Em.mus

cessitas introducendi novam formam Ecclesiae particularis indolis personalis admittitur, cito status canon proponitur, si vero, quod esset melius, negatur, hoc loco nihil dicendum est.

Can. 341 bis § 1: Ad aptam presbyterorum distributionem promovendam aut ad pecuniaria opera pastoralia pro diversis coetibus socialibus perficienda, Praelatura personales ab Apostolica Sede utiliter erigi possunt, quae Presbyteris et Diaconis cleri saecularis constent. § 2: Praelatura personalis regitur statutis ab Apostolica Sede conditis, eique praeficitur Praelatus sicuti Ordinarius proprius, cui ius est nationale vel promovendi. § 3: Conventionibus cum Praelatura initis laici, tum viri, tum mulieres, tum caelibes, tum matrimonio iuncti, operibus apostolicis Praelatura personalis sese dedicare possunt. § 4: Praelatus, initis conventionibuscum Ordinariis locorum, in quorum Ecclesiis particularibus membra Praelatura sua opera pastoralia vel missionalis exercent, prospicere debet, ut iura Ordinariorum locorum serventur. *Ratio:* Servetur substantia praescriptorum M.P. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 4.

⁷ Cfr. *Communicationes* 14 (1982) 202.

Praesul, modo adaequato resolvantur, tunc in Codice hac super materia fundamentali — ne obliscamus heic agi « de Ecclesiae constitutione hierarchica » — habebimus irresoluta problemata ordinis non solum theoretici ac iuridici, immo et practici ac paeprimis pastoralis: problema quae, ni fallor, maximas introducerent anxietates et incertitudines in vita cotidiana non parvi numeri dioecesum, cum comitanti christifidelium damno positas. Nonnullae ex istis irresolutis quaestionibus mihi suggeruntur, quas — exempli tantum gratia — Vobis breviter exponere velim:

I. Praelatura personalis erigi potest « auditis quarum interest Episcoporum Conferentiis », ut in can. 339, § 2: quodnam pondus attribuendum est voto Conferentiae?

II. Utrum, erecta Praelatura, ipse Praelatus membrum fiat Episcoporum Conferentiae?

III. *Relatio* dicit omnes attributiones servari debere quae vi iuris divini et ecclesiastici Episcopis dioecesanis competunt (cfr. p. 101⁸ ad C): quid, e.g., iuris Episcopi de ratione institutionis peragendae in Seminario Praelatura concredito? Quid circa aliquod Praelatura membrum qui ordinem publicum fortasse subvertit? iv. Quomodo ordinari debent et subventiones a fidelibus rogatae et tributa imposita (cfr. cann. 1213, 1214)?

Istae aliaeque similes ac non paucae quaestiones clara indigent solutione antequam haec Pontifica Commissio possit acceptare canones de quibus nunc agimus. Nec, meo iudicio, sufficit dicere — prout in textu schematis (can. 335, § 1) ac in *Relatione* (p. 101 ad C) — Praelaturam personalem tantummodo « aequiparari » Ecclesiae particulari, non autem eidem « assimilari ». Hic, ni fallor, lis est potius de verbis quam de substantia.

Conclusionis causa, unum verbum adiungerem. Utique in Ecclesia, et Ecclesiae lege, omnia fiant quae vel necessaria vel utilia sunt ad sublevandum penuriam cleri in quibusdam territoriis aut pro determinatis operibus pastoralibus perficiendis: haec, uti patet, pertinet ad ipsam Ecclesiae Christi vividam vitam. Nihil, tamen, fiat quod gravia attraheret incommoda, tam pro nostra ecclesiologia fundamentali quam pro regimine ac unitate actionis pastoralis. Dixi.

⁸ Cfr. *Communicationes* 14 (1982) 203.

CARD. BAGGIO

Voto Secretariae et Consultorum circa novi Codicis canones « De Ecclesiis particularibus » deque « Praelaturis personalibus » (cann. 335-339 Schematis) plene adhaereo, i.e. iure condito, non autem ex iis quae hic prolata sunt, quae cognovi nuperrime post relaxationem:

I. EX IURE CONDITO IN CONCILIO ET IN DOCUMENTIS POSTCONCILIARIBUS DOCTRINAM CONCILII VATICANI II FIDELITER INTERPRETANTUR HI CANONES, MEA SENTENTIA

1. Codicis canones redigi debent attenta doctrina theologica ac iuridica, quae plene concordet cum mandato contento in Decr. *Christus Dominus*, n. 44:

« Decernit Sacrosancta Synodus ut in recognoscendo Codice Iuris Canonici aptae definiantur leges, ad normam principiorum quae in hoc Decreto statuuntur, *perpensis etiam animadversionibus quae vel a Commissionibus vel a Patribus Conciliaribus prolatae sunt* ».

2. In materia, ergo, de qua agitur, accurate perpendendum est impri-
mis ipsum Decr. *Christus Dominus*, n. 11, sub luce etiam animadversio-
num circa ipsum propositarum. Legimus vero in hoc n. 11 Decr. *Christus Dominus* — qui est ulterior explanatio Const. *Lumen gentium*, n. 23:

« Dioecesis est populi Dei portio, quae Episcopo cum cooperatione presbyterii pascenda concreditur, ita ut, pastori suo adhaerens ab eoque per Evangelium et Eucharistiam in Spiritu Sancto congregata, Ecclesiam particularem constituat, in qua vere inest et operatur una sancta catholi-
ca et apostolica Christi Ecclesia ». (Quae verba ad litteram habentur in can. 336 novi Codicis).

3. Multae quidem petitiones factae sunt in Concilio, ut clara no-
tio Ecclesiae particularis praebetur,⁹ quibus attentis, competens Commissio conciliaris, in successivis relationibus Patribus traditis, se-
quentia exposuit:

A. In relatione diei 27 aprilis 1964 haec leguntur:

a) In primis annotare iuvat nunc « dioecesanos » in schemate De-
creti proprie nominari Episcopos qui hucusque « residentialles » appella-

⁹ Cfr., ex. gr., interventus Exc.mi A. Rossi, nomine 87 Episcoporum, die 21 sept. 1964: *Acta Synodalia*, III, II, p. 288; Exc.mi I. Urtasun, die 22 eiusdem mensis et anni: *ibid.*, p. 243; animadversiones in scriptis quorundam Patrum ex Gallia: *ibid.*, p. 458.

bantur; sic enim melius uno eodemque verbo designantur sive Episcopi qui in territorio legitime definito munere suo pastorali funguntur, sive Episcopi personales, qui propriam sedem revera non habent.

b) Dioecesis notio, quae in n. 11 datur, ita exprimitur ut aequa intellegi possit de parte Dominici gregis, quae peculiari curae uniuscuiusque Episcopi assignatur *vel ratione determinati territorii* in quo eadem exercenda est, *vel ratione determinati coetus personarum*, qui a fidelibus constituitur pro quibus Episcopus pastorale munus exercere debet.¹⁰

B. Die vero 18 septembris 1964, Commissio hoc nuntiavit in Aula Conciliari:

« Imprimis, in n. 11, definitio quaedam traditur dioecesis, petita *non ex eiusdem territoriali structura*, sed ex diversis intrinsecis ipsius elementis ».¹¹

Haec autem verba notatu mihi digna sunt, quia Commissio Conciliaris proponit claram distinctionem inter *territorialem structuram* dioecesis ex una parte, et *intrinseca ipsius elementa* ex altera parte: unde necesse est concludere *territorialem structuram* proponi uti elementum dioecesis extrinsecum, quod tamen nulli obiectioni Patrum ansam dedit.

C. In relatione autem subsequentis diei 30 octobris eiusdem anni dicitur:

« Definitionem realem dioecesis *potius ex intrinsecis eius elementis quam ex territoriali structura* conati sumus statuere, unde haec quae sequuntur commoda obtineri posse censemus: a) “theologia” quaedam Ecclesiae particularis, iuxta plurium Patrum postulata, velut in nuce praebetur; ... c) notio dioecesis etiam ad “personales” quas vocant dioeceses aequo iure extenditur ».¹²

4. Ex his autem clare patet Concilium tradidisse notionem Ecclesiae particularis, iuxta quam elementa *externa essentialia* sunt: a) Episcopus, ut Pastor proprius; b) presbyterium; c) fidelium coetus aliqua ratione apte determinatus (quae quidem ratio ex regula solet esse territorium, tam-

¹⁰ *Acta Synodalia*, III, II, p. 49.

¹¹ *Ibid.*, p. 62.

¹² *Acta Synodalia*, III, VI, p. 156. Etiam in relatione de n. 11 Decreti dicitur a Commissione: “Quidam Patres proposuerunt ut dioecesis aliam vel aliam haberet denominationem. Commissio autem id non esse admittendum censuit. Si enim diceretur *ecclesia episcopalis*, videretur dioecesis praeberi tamquam quaedam possessio Episcopi; si vero *Ecclesia localis* nuncuparetur, excluderentur dioeceses personales” (*ibid.*, p. 163).

quam criterium extrinsecum seu mere delimitativum). Qui hos canones impugnant, super facto insistunt, et recte quidem, quod Ecclesia particularis congregatur per Evangelium et Eucharistiam, sed ex hoc nullo modo sequitur territorium esse essentiale; nam, ex ipsa natura rei, uti Concilium ostendit, requiritur et sufficit ut presbyterium et fideles suo Episcopo adhaereant, seu ipsum habeant ut vinculum communionis cum R. Pontifice et cum ceteris Ecclesiis particularibus.¹³

5. In hoc contextu intellegendae sunt quoque Praelatura personales, de quibus in Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 10, necnon in Decr. *Ad gentes* (n. 20, nota 4; n. 27, nota 28), quae, iuxta Concilii verba, erigi possunt ut « *ubi ratio pastoralis postulaverit*, faciliora reddantur non solum apta presbyterorum distributio (quae unica ab aliquibus esse praesumetur), *sed etiam peculiaria opera pastoralia* pro diversis coetibus socialibus, quae in aliqua regione vel natione aut *in quacumque terrarum orbis parte* perficienda sunt ».¹⁴ Ideo constitui possunt « peculiares dioeceses vel praelatura personales »,¹⁵ id est, verae Ecclesiae particulares (dioeceses) vel structurae pastorales in iure eidem aequiparatae (praelatura personales).

II. HAEC OMNIA CLARIUS PATENT EX NONNULLIS SUCCESSIVIS S. SEDIS DOCUMENTIS

6. Adest imprimis Motu pr. *Ecclesiae Sanctae*, I, diei 6 augusti 1966: de apta cleri distributione agitur in nn. 1-3 praefati documenti; in n. 4 vero (quod incipit verbo *Praeterea*, quasi ad indicandum de alia re agi) normae habentur de praelaturis personalibus, quae « *ad peculiaria opera pastoralia vel missionalia perficienda pro variis regionibus aut coetibus socialibus ... possunt ab Ap. Sede utiliter erigi* ».

7. De iisdem Praelaturis personalibus agitur in Const. Ap. *Regimini Ecclesiae universae*, diei 15 augusti 1967, n. 49, § 1, ubi Praelatura personales considerantur tamquam una ex formis quibus manifestari potest competentia S. Congregationis pro Episcopis ad statuendas structuras iuridicas necessarias pro organizatione actionis pastoralis Ecclesiae. Ibidem

¹³ Ex. gr. in Ierusalem, praeter Patriarchatum Hierosolymitanum Latinorum, existunt quoque Vicariatus Patriarchales Patriarchatum Antiocheni Syrorum, Melchitarum, Maronitarum, Babylonensis Chaldaeorum et Ciliciae Armenorum. Etiam intra idem territorium multae sunt dioeceses quae iuxta criterium personale configurantur, sunt nempe in eodem loco dioecesis pro latinis et dioecesis pro orientalibus (cfr. Decr. *Orientalium Ecclesiarum*, n. 4 et Decr. *Christus Dominus*, n. 23).

¹⁴ Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 10.

¹⁵ *Ibid.*

etiam dicitur: « (S. Congregatio) agit praeterea quae attingunt ... *Vicarios Castrenses ceterosque Vicarios seu Praelatos iurisdictione personali fruentes, nominandos* ».¹⁶ En ratio meae interventionis.

8. De Praelaturis personalibus ad peculiaria opera pastoralia peragenda agitur etiam in Instructione S. Congregationis pro Episcopis diei 22 augusti 1969, n. 16, § 3, approbata mediante Motu pr. *Pastoralis migratorum cura*, diei 15 eiusdem mensis et anni: hoc autem sensu careret, si Praelatura personales unice constitui possent ad meliorem distributionem cleri inter diversas dioeceses procurandam. Adiungere debo Pont. Commissionem de spirituali migratorum atque itinerantium cura magna cum attentione consideravisse hos canones de Ecclesiis particularibus, cum Codicis schemata pro consultatione misimus, rati quod de re ageretur maximi momenti.

9. Cito demum *Directorium de pastorali ministerio Episcoporum*, diei 22 februarii 1973, n. 172, ubi dicitur:

« Ex ipsa dioecesis descriptione, quam ex Concilio Vaticano II deprompsimus, liquet dari posse Ecclesiam particularem personalem vel ritualem ... cui nomen dioecesis vel etiam praelatura confertur ».¹⁷

Patet quod hoc documentum est documentum Congregationis, sed approbatum a S. Pontifice Paulo VI.

III. SERIES CONSIDERATIONUM SAT BREVIS, QUIBUS ATTENTIS, CONCLUDAM

10. Canones 335-341 schematis novi Codicis servandi sunt in ac-

¹⁶ Agitur enim, uti iam dictum est, de condendis structuris iuridicis pro organizatione actionis pastoralis Ecclesiae, quod, salva competentia SS.CC. pro Ecclesiis Orientalibus et pro Gentium Evangelizatione, pertinet ad S.C. pro Episcopis. Si autem de sola cleri distributione ageretur, remissio fieret ad competentiam S.C. pro Clericis, uti contingit in n. 50 eiusdem Const. Ap., ubi quaestiones de Conferentiis Episcopalis deque Conciliis particularibus commendantur S.C. pro Episcopis, sed “collatis consiliiis cum S. Congregatione pro Clericis”. Pari modo, in ipsa Const. Ap., n. 68 § 2, ubi de competentia S.C. pro Clericis, dicitur eiusdem esse “per peculiare Consilium principia generalia tradere, quibus regatur aptior cleri distributio”, et in nota ad calcem citatur Motu pr. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 1, non autem n. 4. De facto, S.C. pro Clericis normas directivas edidit de cleri distributione, die 25 martii 1980 (*AAS* 72, 1980, pp. 343-364): in hoc documento, quod 22 paginas complectitur in *AAS*, ne verbum quidem fit de Praelaturis personalibus ad meliorem cleri distributionem procurandam.

¹⁷ Cfr. etiam n. 190 eiusdem Directorii, ubi agitur de maximis urbibus et de problematisbus pastoralibus in iisdem exsurgentibus. Inter solutiones pastorales, hae quoque praevidetur: “Si casus ferat, et adjuncta personarum, opum et operum id sinant (cfr. Decr. *Christus Dominus*, n. 23, 3), Episcopus studet et proponit Apostolicae Sedi, ut megalopolis – respectu habitu ad *functiones* vel *classes sociales*, vel ad *necessitates pastorales potius quam ad territorium* – in plures dioeceses dividantur”.

tuali eorum redactione, quia recte et prudenter colligunt tum doctrinam et explicitum mandatum Concilii Vaticani II tum leges executivas a S. Sede post Concilium latas.

11. Neque congruit ut Praelatura personales ponantur in sectione III, Libri II Codicis, quia sunt structurae pastorales, non secus ac dioeceses, praelatura territoriales, etc., et dependent ab eodem Dicasterio Curiae Romanae, quapropter in eodem capite venire debent. Afferunt obicientes has Praelaturas esse structuras « finalizatas », — quomodo dicitur in *Relatione* — seu ad finem aliquem obtainendum conditas, quod verum est quidem; sed etiam Ecclesia universalis ipsa est ad finem peculiarem contendens, seu ad Dei gloriam atque animarum salutem consequendam; et pariter Ecclesiae particulares territoriales non existunt tantum ut in seipsis vitam habeant, sed etiam ut, impulsu apostolico ac missionali, ad bonum totius Ecclesiae et ceterarum Ecclesiarum particularium conferant. Utinam igitur omnes Ecclesiae particulares magis magisque ad hoc totis viribus contendentes dici possint. Dixi. Gratias.

EXC.MUS TZADUA

Si quaestio non contemplari debet hoc in loco, veniam peto. Canones de quibus nunc agitur nihil dicunt de praelatura personali ratione ritus. Possumne proponere ut in can. 337, § 2 addatur « ratione ritus », ita ut legatur: « Praelatura personalis etiam ad peculia opera pastoralia vel missionalia vel ratione ritus perficienda ». Gratias.

CARD. ROSALES

Circa Praelaturas personales iterum statuere volo meam sententiam omnino conformem esse cum textu schematis, ideoque canones de quibus agitur manere debent uti sunt et — si est possibile — sine ulla mutatione, et quidem in eodem loco ubi nunc inveniuntur. Hi canones plene reflectunt normas a Concilio Vaticano II datas: *Presbyterorum Ordinis*, n. 10; *Christus Dominus*, n. 11; *Ad gentes*, n. 20 nota 4 et n. 27 nota 28. Insuper, eaedem normae applicatae sunt in documentis Concilio obsequentibus, ut Motu pr. *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 4. Praelatura personales mihi videntur esse responsum Ecclesiae pastoralibus necessitatibus mundi hodierni, ubi territorialitas ut *unicum criterium adscriptionis* ad coetum fidelium insufficiens apparel propter dynamismum vitae hodiernae. Agitur de *pastoralibus* structuris ad peculia opera pastoralia perficien-

da, ideoque sub iurisdictione S. Congregationis pro Episcopis. In spiritu normarum ab auctoritate Ecclesiae datarum tum in Concilio Vaticano II tum postea, nullo modo conflictus dari potest inter Praelaturas personales et iurisdictionem Ordinarii loci territorialis, eo quod huiusmodi Praelatura, secus ac Praelatura nullius, non sunt « portiones populi Dei » a iurisdictione Ordinarii exemptae. Alia ex parte, autem, aequiparari debent Ecclesiae particulari, quamvis non ei assimilentur, propter indolem *pastoralem* sua actuositatis, et proinde sub iurisdictione S. Congregationis pro Episcopis manere debent. Quapropter hi canones placent, et postulo ut non modifetur eorum textus.

CARD. FELICI

Gratias. Nemo aliis vult loqui de hoc argumento? Ergo Secretarius potest dare aliquas explicaciones technicas, si est necessarium.

EXC.MUS CASTILLO LARA

Bene. Incipiamus ab illa minoris momenti, ab Exc.mo Tzadua presentata. Exc.me, quod tu vis invenitur in canone 339, § 2, ubi dicitur: « Attamen, ubi de iudicio supremae Ecclesiae auctoritatis, auditis quarum interest Episcoporum Conferentiis, utilitas id suadeat, in eodem territorio erigi valent Ecclesiae particulares ratione ritus fidelium distinctae ». Sub locutione « Ecclesiae particulares » possunt venire etiam praelatura. Possunt coexistere in territorio eiusdem dioecesis ratione ritus, dioecesis et etiam praelatura. Quod invenies confirmatum si legis ultimam partem paragraphi, ubi dicitur: « item, ubi animarum cura id requirat, salvis iuribus Ordinariorum locorum, constitui valent dioeceses vel praelatura complectentes omnes et solos fideles alia ratione quam ritu »; subintelligitur ergo quod dantur etiam Praelatura personales ratione ritus ...

CARD. FELICI

Non. Si dicitur « omnes et solos fideles alia ratione quam ritu determinata », est aliquid adversum, nonne? « Alia ratione quam ritu ... ».

« Erigi valent Ecclesiae particulares ratione ritus fidelium distinctae ». Dicitur, nonne? Si clarius dicendum est, nescio. In canone 337.

EXC.MUS CASTILLO LARA

In can. 337, § 2 comprehenduntur iam praelatura ratione ritus, nam canon 337, § 2 modo generali loquitur, et dicitur tantummodo quod fideles « quadam ratione » devincti sunt, non explicat de qua ratione agatur, quia diversae esse possunt: potest esse ritus, servitium militare, ratio ethnica, labor, occupatio: veluti pro operariis, migrantibus, etc.

CARD. FELICI

Sed Exc.mus supponit, si citatae sunt Praelatura castrenses, nonne?

EXC.MUS CASTILLO LARA

Non, citatur tantum tamquam exemplum potius; Praelatura castrenses, Vicariatus castrenses sunt exemplum classicum Praelatura personalis.

CARD. FELICI

Ad alia transeamus quia de hac re non est nunc agendum.

EXC.MUS CASTILLO LARA

Ad secundam quaestionem credo quod elementa vel argumenta potiora ab utraque parte iam sunt dicta. Nescio utrum Patres requirant aliquod tempus ad ponderandam suffragationem.

CARD. FELICI

Non est necessarium. Iam satis dixerunt rationes.

EXC.MUS CASTILLO LARA

Ex parte mea addam tantum duas considerationes; et mihi parcatis, quia quod sentio dicere debeo. Praeprimis in nostra intentione sub Praelatura personali datur vera Ecclesia particularis, quia dantur tria elementa quae efformant saltem iuridice Ecclesiam particularem: Pastor, presbyterium et populus; non territorium, quod non est elementum essentiale. Ubi dantur haec tria elementa, pastor, presbyterium et populus, potest

dari Ecclesia particularis. In nostra intentione non contemplatur praecise illa structura de qua sermo fit in *Ecclesiae Sanctae*, ubi Praelatura personales configurantur veluti associatio quaedam clericorum quae seminarium habet. Haec nullo modo assimilari potest Ecclesiae particulari. Concordo cum Card. Hume, quod differentia inter « aequiparatur » et « assimilatur » est minima; est quaestio de verbis, revera — est veluti Ecclesia particularis. Quis determinat ubinam sit vinculum et utrum vinculum sit sufficiens? Hoc committitur supremae Ecclesiae auctoritati. Sed ego credo quod multae obiectiones ad canones veniunt fortasse quia omnes cogitant de concreto exemplo, scilicet de concreta associatione, quam vident sub his canonibus. E contra, in conficiendis canonibus, saltem mea ex parte — possum coram Deo affirmare — ductus fui tantummodo rationibus iuridicis et theologicis. Quaestio concreta de concedendo vel non concedendo alicui associationi characterem seu condicionem Praelatura personalis, credo quod non solvatur cum canone, quia si res pendet a S. Pontifice, etiam sine canonibus ille potest id semper facere. Sed obiectiones, quae non veniunt contra canones sed contra illam associationem, debent notae fieri supremae auctoritati, et faciant Conferentiae Episcoporum vel Episcopi quorum interest. Haec est, sincere dicta, mea opinio.

CARD. RATZINGER

Etsi mea observatio non venit ex exemplo quodam concreto quod omnes scimus, sed revera ex notione Ecclesiae particularis, et forsan meam difficultatem simpliciter possum monstrare inspicio hunc canonem 337, § 2, ubi confusio, de qua loqui volui, sat clare in lucem venit; simpliciter hoc dicendo: Vicarius castrensis numquam facit missionem quoad eos qui rei militari non adhaerent, sed facit curam pastoralem intra vicariatum castrensem. Ecclesia quaedam ritualis dicamus, e.g., Ecclesia Orientalis catholica in nostra patria existens, non facit missionem quoad alios qui ritum latinum sequuntur, sed Ecclesia particularis constituta est pro iis qui ex certis criteriis obiectivis adsunt. Sed hic etiam nunc aliae Ecclesiae personales sunt quae faciunt missionem quoad alios qui ad eam non pertinent. Et sic videtur duas notiones toto caelo diversas nunc in hanc unam notionem Ecclesiae particularis inseri, et sic nova a traditione catholica sat contraria notio Ecclesiae particularis exoritur. Nos non sumus pro exclusitate criterii territorialis, quod revera dynamismo Ecclesiae hodiernae non convenit, neque contra consociationem quoad incarnationem, ut clerus melius distribui possit neque, ut clarum est, contra

M.P. *Ecclesiae Sanctae*, sed solummodo contra hanc commixtionem et forsitan, ut verbis Secretarii generalis utar, haec tria criteria: Episcopus, presbyterium, portio populi Dei ... non sat sufficienter expressum est, quia, quoad portionem populi Dei, dicendum est portionem populi Dei qui ex criteriis obiectivis ad hanc Ecclesiam particularem pertinet, sive qui rei militari dicati sunt sive qui ad aliquem ritum pertinent, etc., non autem ex criteriis subiectivis voluntariis, quia aliquod opus personale volunt perficere seu quia sic meliore modo presbyteri distribui possunt in nostro mundo. Qua de causa, nostrae difficultates hic non revera responsionem suam fecerunt neque de certo quodam exemplo nostra difficultas oritur, quamvis in mente sit, sicut canon est, sed ex hac commixtione, quia portio populi Dei secundum criteria traditionis catholicae ex criteriis obiectivis pertinet ad Ecclesiam particularem. Si autem est pertinentia voluntaria ad opus ad extra, hoc non est Ecclesia particularis, sed est consociatio, seu inveniamus aliquem novum terminum, sicut, nunc propono, « Vicariatus personalis », sed clare fiat hoc non esse Ecclesiam particularem, quod esset contra traditionem catholicam.

EXC.MUS CASTILLO LARA

Parcas mihi, Em.me Card. Ratzinger, si relate ad historiam aliquod exemplum afferam. V.g., quaedam dioeceses in historia assumpserunt missionem in sic dicto « tertio mundo », in Africa et in America Latina. Erat opera missionalis quam complebat Ecclesia particularis. Ergo, per se potest dari Praelatura ad opera missionalia. Credo etiam quod tu dixisti: clausula ex criteriis obiectivis per se potest addi, sed credo quod non solvat quaestionem; quia, quae est differentia inter criterium obiectivum et criterium subiectivum? Semper adest criterium subiectivum. Ad exemplum: potest constitui Praelatura personalis pro militaribus; hoc omnes admittunt. Pro navigantibus; est quod dicitur « apostolatus maris », scilicet complectens omnes presbyteros qui tamquam cappellani adlaborant in cura animarum navigantium scilicet eorum qui tamquam populus qui in navi est: hoc potest admitti. Potest dari Praelatura personalis pro studentibus exteris in magna urbe. Potest dari Praelatura personalis pro immigrantibus ratione ethnica, non ratione ritus — pro immigrantibus in aliqua natione, v.g., in Germania, pro operariis qui ex Hispania veniunt. Sed quidquid sit res, ego admitto quod res est sat difficilis.

CARD. KROL

In Statibus Foederatis nos habemus nationes immigrantium. In una dioecesi Missa lecta est in 30 vel 40 variis linguis. Quaestio est: in tali dioecesi quot erunt Praelaturaे particulares? Quot? Haec est res valde periculosa, valde periculosa.

CARD. FELICI

Nemo alias? Ego dicam plane quod sentio. Sum substantialiter cum normis, cum canonibus qui praeparati sunt a nostris Consultoribus, etiam — non solum — ob solidarietatem, ut hodie dicitur semper, sed etiam quia isti canones suppositi fuerunt consultationi universae quasi, ut iam pluries dixi. Sed quaestio non est tam iuris quam facti. Quod possunt erigi Praelaturaе personales negari non potest, iam in Concilio dictum est, iam in *Ecclesiae Sanctae* repetitum, iam in pluribus documentis pontificiis, ut dixit Card. Baggio, hoc dictum est. Quapropter, opertebat leges ferre circa hanc materiam. Forsan aliqua quaestio potest fieri circa verbum « aequiparationis », « assimilationis ». Ego forsitan preferrem « assimilationem »; tandem aliquando in praxi potest dici idem, sed attendenda sunt verba quae sunt in § 2 canonis 335: « Ecclesiae particulari in iure aequiparatur, nisi ex rei natura aut iuris praescripto aliud appareat, et iuxta statuta a Sede Apostolica condita, Praelatura personalis ». Hoc, igitur, multum pendet a Sede Apostolica; determinare nempe statuta, quounque se porrigit potestas data Praelato personali et iura quae dantur iis qui pertinent ad Praelaturam personalem. Ergo, non possumus negare factum Praelaturaе personalis, postquam Concilium hoc statuit. Sed, tamen, animadvertere volo circa hoc punctum: pendet a S. Sede. Et aliud animadvertere volo: forsitan verbum validum non est inventum. Sed in can. 337, in § 2 dicitur: « Praelatura personalis, etiam ad peculiaria opera pastoralia vel missionalia perficienda, habetur cum portio populi Dei, Praelati curae commissa, indolem habeat personalem, complectens nempe solos fideles speciali quadam ratione devinctos »; et hic est scopus. Quaenam est haec specialis ratio? Ponitur ut exemplum Vicarius castrensis, sed non sufficit; nam, Praelaturaе personalis habentur alia exempla quasi in geographia hierarchica nostrae Ecclesiae. Forsitan potest aliqua relaxatio fieri in hac speciali ratione. Et in hoc multum est insistendum. Sermo factum est de studentibus, sed studentes sunt ubique. Et si demuntur studentes a iurisdictione Episcopi vel peculiares studentes, quid fit? Dependent tantummodo ab aliqua Praelatura? Etsi haec specia-

lis ratio non sit vere specialis, uti appareat in quibusdam casibus, sed hoc statuere pendet a Suprema Auctoritate. Ego proposuerim alia verba ac « speciali ratione », sed nescio quaenam verba, nescio. Pendet a prudentia eius qui gubernat Ecclesiam. Eius est determinare quaenam sit haec specialis ratio; deberet esse specialissima ratio, quam omnes considerare possunt et perpendere possunt ut bonam, et quae non tollat Episcopis facultatem et potestatem circa suos fideles qui eadem munia exercent. V.g., dicitur « ut sanctitas melius foveatur »; sed hoc pertinet ad omnes Episcopos fovere sanctitatem. Ergo, oportet ut inveniatur haec peculiaris ratio, simul ecclesialis et iuridica. Hoc tamen pendet a S. Pontifice. Quapropter meum votum erit affirmativum ad confirmandos canones; sed tamen desiderarem ut in praxi res melius singulis in casibus consideraretur, etiam datis rationibus ab Em.mis Card. Ratzinger et Hume, quia potest quandoque potestas Episcopi limitari, eh! Et hoc habendum est maxime. Si hoc non fit, si maius bonum Ecclesiae procuratur, utique, cetero quid faciunt ipsi ordines religiosi? Et ipsae societas religiosae? Contribuunt ad maiorem sanctificationem Ecclesiae et instituta habent: Salesiani multa instituta habent pro iuventute, et non sunt Praelatura personales; exemplum affero. Ergo, ego suffragium dabo quoad textum favorable, attamen commendandum est — nulla commendatione eget, evidenter — auctoritati supremae, ut in hisce rationibus diligendis sit maxime cauta: sed, ut dixi, S. Pontifex non eget nostra commendatione.

EXC.MUS CASTILLO LARA

Eminentia, possumus « concretizzare » propositionem Card. Ratzinger? Em.me Ratzinger, tu proponis ut supprimatur in canone 337 clausula « etiam ad peculiaria opera pastoralia vel missionalia perficienda »?

CARD. FELICI

Non! Non! Potest esse. Etiam hoc potest esse ...

CARD. RATZINGER

Nolo destruere opera missionalia.

EXC.MUS CASTILLO LARA

Non, Eminentia. Volo tantum « concretizzare » propositionem in ordinem ad suffragationem.

CARD. RATZINGER

Feci propositionem in secundo folio,¹⁸ tradito Secretariae, ubi hae duae res de quibus hic locuti sumus, scilicet notio Ecclesiae particularis et Praelatura personalis, separantur clare secundum sensum M.P. *Ecclesiae Sanctae*, secundum legislationem postconciliarem distinguunt et unaquaeque suum locum et suam expressionem inventit. Et mihi videtur hanc propositionem, quam in foliis dedi quam maxime textui schematis Codicis appropinquare et res quae minus correctae videntur admeliorare.

CARD. FELICI

Ergo, ita faciamus. Velit Em.mus Ratzinger suam propositionem nobis dare et crastina suffragationem faciemus. Primo, circa textum qui est in schemate; deinde, si non placet maioritati, textum praeparatum a Card. Ratzinger, qui, ut ipse dixit, appropinquat nostro textui. Sed, ego habeo; iam distributus est? Ergo, crastina fiet suffragatio, ut Vos considerare bene possitis rationes propositas vel novam formulam propositam a card. Ratzinger. Sed, primo fiet suffragatio supra textum schematis; deinde, si non placet, tunc fiet suffragatio supra textum Ratzinger. Sed, uti dixi heri, etiam si placeat textus schematis, observationes Ratzinger pree oculis habebuntur, si aliquid expoliendum habeatur in nostro textu.

EXC.MUS CASTILLO LARA

Eminentia, mihi displicet; cum agitur de re magni momenti melius est ut omnes mutationes hic approbentur quia, postea nescimus quid faciendum sit de variis propositionibus.

CARD. FELICI

Non, ut dixi heri — Exc.me, parcas — ego dixi heri: quando facta fuerit suffragatio, perpolationes fieri possunt semper, in linea quam suffragaverunt favorabiliter nostri Sodales. Non possum praeccludere viam ad aliquam meliorationem textuum, dummodo fiat in sensu qui suffragium habuit positivum in hac aula.

¹⁸ Cfr, supra p. 377 in nota 6.

SUFFRAGATIONES DE QUAESTIONE QUINTA
QUOD PRAELATURAS PERSONALES

CARD. FELICI

Patres Venerabiles, incipiemos hodie cum suffragatione circa argumentum de quo discussimus heri: nempe de Praelatura personali. Ut recte gradiamur, ni fallor, via et ratio melior est quam secuti usque sumus. Generatim nos legimus canones praeparatos, qui iam studio subiecti sunt et, si placent, bene est; quod si non placeant, aliquae emendationes vel formulationes proponentur. Ut explicavi heri, haec methodus mihi videatur melior, quamvis, uti vidistis, nonnullae sint exceptiones; eadem quandoque materia exigit alias exceptiones! Patet, sive ex proportione rei, sive ex re discutienda.

Sed via et ratio communis est haec, quia argumentum est contentum pluribus canonibus et potest unus canon placere, alter canon non placere, et potest etiam desiderari aliqua substitutio. In primis ego legam canonem uti sunt, et circa unumquemque canonem fiet suffragatio. Si aliquis ex his canonibus non placuerit maioritati, tunc videbimus quaenam formula sit discutienda ut substituatur illi canoni. De re agitur in canonibus 335 ad 339, quamvis unus ex his canonibus contentis non sit ad rem: v.g. canon qui agit de Vicariatu apostolico tantum, id est canon 338, qui loquitur solum de Vicariatu apostolico et de Praefectura apostolica, ni fallor! Ergo non ingreditur in hanc nostram materiam. Nescio utrum essent ii qui circa hunc canonem putent quod facienda sit discussio. Non mihi videtur. Pariter § 2 eiusdem canonis — « Administratio apostolica est certa populi Dei portio, quae ob speciales et graves omnino rationes a S. Pontifice etc. ... » — loquitur de Administratione apostolica, ergo non habet rationem cum Praelatura personali. Sed, dempto hoc canone, alii omnes suffragandi sunt, incipiendo a can. 335. Ego lego hunc canonem tantum vel melius legat, ut me adiuvet, Exc.mus Secretarius.

EXC.MUS CASTILLO LARA

« *Can. 335, § 1. Ecclesiae particulares sunt certae Dei populi portiones, in quibus et ex quibus una et unica Ecclesia Christi exsistit, videlicet Dioecesis, cui, nisi aliud constet, assimilantur Praelatura territorialis et Abbatia, Vicariatus Apostolicus et Praefectura Apostolica atque Administratio Apostolica stabiliter erecta.*

§ 2. Ecclesiae particulari in iure aequiparatur, nisi ex rei natura aut iuris praescripto aliud appareat, et iuxta statuta a Sede Apostolica condita, Praelatura personalis ».

CARD. FELICI

Satis. Ex hoc canone, ni fallor, ad argumentum quod spectat, supponenda est tantummodo suffragationi § 2. Ego quaero ex Vobis, Patres Venerabiles: Placetne quod dicitur in § 2: « Ecclesiae particulari in iure aequiparatur, nisi ex rei natura aut iuris praescripto aliud appareat, et iuxta statuta a Sede Apostolica condita, Praelatura personalis ». Placetne Vobis?

Placet 22 supra 49 can. 335, § 2 schematis, de generali aequiparatione Praelatura personalis Ecclesiis particularibus.

Ergo non habuit maioritatem. Ergo placet ut supprimatur simpliciter. Non placet haec dictio.

Ego velim aliam quaestionem adhuc supponere Vobis circa eandem § 2. Potest ne placere haec si verbo « aequiparatur » substituatur verbum « assimilatur »?

EXC.MUS CASTILLO LARA

Est idem!

CARD. FELICI

Non! Non est idem! Aliud est esse aequalis, aliud est similis! Etiam quoad semanticam! Si substituatur verbo « aequiparatur » « assimilatur », placeretne Vobis haec paragraphus? Si placet, elevetis manum, cum hac substitutione. Tentemus omnes vias. Mihi melius placeret sed tamen ...

Placet 15 supra 49 eadem § 2 can. 335, si loco verbi « aequiparatur » dicatur « assimilatur ».

Ergo nec hic facta est maioritas.

Legas alias canones.

EXC.MUS CASTILLO LARA

Circa 336 nulla est discussio, quia datur dioecesis notio. Nunc can. 337, § 1: « Praelatura territorialis aut Abbatia est certa populi Dei portio, territorialiter quidem circumscripta, cuius cura, specialia ob adiuncta,

committitur alicui Praelato aut Abbatii, qui eam, ad instar Episcopi dioecesani, tamquam proprius eius pastor regat ».

CARD. FELICI

Est sufficiens. Votationem facimus solum quod spectat ad Praelatum personale; de Abbatia sermo non est. Nunc § 2.

EXC.MUS CASTILLO LARA

« § 2. Praelatura personalis, etiam ad peculiaria opera pastoralia vel missionalia perficienda, habetur cum portio populi Dei, Praelati curae commissa, indolem habeat personalem, complectens nempe solos fideles speciali quadam ratione devinctos; huiusmodi sunt Praelatura castrenses, quae Vicariatus castrenses quoque appellantur ».

CARD. FELICI

Bene. Tunc possumus integrum canonem votare. Placetne Vobis hic can. 337, § 2 praesertim? Placet ne?

Placet 16 supra 50 can. 337, § 2 schematis de Praelatura personali.

Ergo can. 338 non placet.

Nunc « Can. 339, § 1. Pro regula habeatur ut portio populi Dei quae Dioecesim aliamve Ecclesiam particularem constituat, certo territorio circumscrribatur, ita ut omnes comprehendat fideles in territorio habitantes ». (Nescio utrum hoc supponendum sit).

« § 2. Attamen, ubi de iudicio supremae Ecclesiae auctoritatis, auditis quarum interest Episcoporum Conferentiis, utilitas id suadeat, in eodem territorio erigi valent Ecclesiae particulares ratione ritus fidelium distinctae; item, ubi animarum cura id requirat, salvis iuribus Ordinariorum locorum, constitui valent Dioeceses vel Praelatura complectentes omnes et solos fideles alia ratione quam ritu determinata devinctos in certo territorio habitantes, immo vel Praelatura personales, nullo quidem territorio definitae ».

Placetne hic canon?

Placet 16 supra 50 can. 339, § 2 de Ecclesiis particularibus ratione ritus, de Dioecesi personali ac de Praelatura personali. Ergo non placet!

Can. 340: « Unius Supremae auctoritatis est Ecclesias particulares erigere; quae legitime erectae, ipso iure, personalitate iuridica gaudent »; Can. 341, § 1: « Quaelibet Dioecesis aliave Ecclesia particularis dividatur in distinctas partes seu paroecias ».

EXC.MUS CASTILLO LARA

Non sunt in discussione ii canones!

CARD. FELICI

Ergo exhausta est suffragatio! Nunc, cum argumentum de Praelatura personali per has votationes exhaustum sit, oportet etiam aliquid dicere in Codice de his Praelaturis personalibus, quae praevidentur a Concilio et ab aliis documentis, v.g. *Ecclesiae Sanctae*. Ego vellem rogare Em.mum Cardinalem Ratzinger ut aliquam propositionem ex suis proponat ut suffragio Coetui proponatur. Nam Cardinalis Hume, praesertim Cardinalis Ratzinger, hanc propositionem dederunt nobis.

CARD. RATZINGER

In mea propositione in can. 341 bis, de Praelatura personali, in sensu M.P. *Ecclesiae Sanctae*, mentio fit et quam fidelissime, sicut spero; hae quattuor paragraphi secundum hoc M.P. confectae sunt et sic de Praelatura personali in hoc canone a me proposito, sicut spero, sufficienter aliquid dicitur secundum ius postconciliare. Sed quia etiam revera Concilium, sicut dicit de dioecesibus personalibus non criterio territoriali erectis, aliquid dicit, quod tamen in hoc termino « Praelatura personali » secundum M.P. non continetur, proposui novum terminum, qui quodammodo difficilis inveniendus fuit, sed habemus archetypum classicum « Vicariatum castrensem » et, qua de causa, idea mea erat forsitan loqui posse « de Vicariatibus personalibus » sequendo hanc consuetudinem loquendi de Vicariatu castrensi, et qua de causa proposui can. 339 bis, ubi de his Vicariatibus personalibus, secundum archetypum omnibus notum Vicariatus castrensis, loquuntur, et hi vicariatus personales revera Ecclesiae particulares sunt, quamvis non criterio territoriali sed criterio quodam alio sed obiectivo, e.g. militia, ritu, criterio ethnico, erecti; sed e contra Praelatura personalis, in sensu M.P., non est Ecclesia particularis sed consociatio quaedam.

CARD. FELICI

Potes legere hunc canonem? Audiatis omnes.

CARD. RATZINGER

« *Can. 341 bis, § 1. Ad aptam presbyterorum distributionem promovendam aut ad peculiaria opera pastoralia pro diversis coetibus socialibus*

perficienda, Praelatura personales ab Apostolica Sede utiliter erigi possunt, quae Presbyteris et Diaconis cleri saecularis constent.

§ 2. Praelatura personalis regitur statutis ab Apostolica Sede conditis, eique praeficitur Praelatus sicuti Ordinarius proprius, cui ius est nationale vel internationale seminarium erigendi necnon alumnos incardinandi, eosque titulo servitii Praelatura ad ordines promovendi.

§ 3. Conventionibus cum Praelatura initis laici, tum viri, tum mulieres, tum coelibes, tum matrimonio iuncti, operibus apostolicis Praelatura personalis sese dedicare possunt.

§ 4. Praelatus, initis conventionibus cum Ordinariis locorum, in quorum Ecclesiis particularibus membra Praelatura sua opera pastoralia vel missionalia exercent, prospicere debet, ut iura Ordinariorum locorum serventur ».

Et haec est secundum substantiam quod in M.P. *Ecclesiae Sanctae* praescribitur.

CARD. FELICI

Ergo propositio facta a Cardinali Ratzinger est duplex: de mutando nomine et deinde de substantia rei, quam continetur in can. 341, bis §§ 1, 2, 3, 4. Nunc quaero ex Vobis, Patres: utrum conveniat mutare nomen « Praelatura personalis » in *Vicariatum*; sed attendamus: terminus est iam consecratus a Concilio! Propterea oportet explicare. Dicas.

CARD. RATZINGER

Hoc canone 341 servatur terminus Praelatura personalis; servatur, quia hic est sensus: solummodo aequiparatio Ecclesiae particulari deletur. Et ratio mea est: hic habemus criterium voluntarium, et ad Ecclesiam particularem aliquis non secundum suam voluntatem intrat; si haberetur criterium subiectivum, non fuisse Ecclesia particularis sed specialis, in qua omnes seipso eligunt: Ecclesia quaedam electorum, et hoc non!

CARD. FELICI

Sed in Codice non possumus loqui de obiectivo et subiectivo. Semper aliiquid obiectivum.

CARD. RATZINGER

Si, hoc verbum etiam non adhibetur; erat solum ad explicandum.

CARD. FELICI

Ergo, non insistis in hac mutatione verbi! Potius in hoc novo canone proposito, ubi natura unius Praelatura personalis describitur? Quaero utrum necesse sit supponere suffragationi Patrum mutationem termini, quae iuxta te aliquod momentum habere videbatur, ne quasi Ecclesiae particulari aequipararetur?

CARD. RATZINGER

Id est hic canon 341 bis? Terminus « Praelatura personalis » in hoc canone simpliciter servetur sicut in Motu Proprio fit; sic etiam de termino nihil votandum esset, sed postea potest quaestio oriri, quia etiam dioeceses quodammodo personales existunt, quae tamen non eadem sunt sicut haec Praelatura personalis, utrum de his dioecesibus personalibus etiam aliquis canon fieri debeat, qui cum 339 bis proponi potest et hic, ubi revera de Ecclesia particulari locutio esset. Sic etiam novus terminus inveniendus et suffragandus esset. Sed pro hoc canone nunc lecto terminus Praelatura personalis valet et etiam nihil de terminologia votandum esset.

Suffragatio

CARD. FELICI

Ergo in primis suffragandus est hic canon qui, uti dixit Em.mus, respondit menti Ecclesiae Sanctae, et respondet substantiae etiam doctrinae conciliaris. Aliis verbis, vult vitari quod Praelatura personalis aequiparetur Ecclesiae particulari. Hic est sensus profundus! Cetera sunt munera, quae forsan possunt etiam breviori modo dici in redactione finali. Nam, mihi videtur canon longior. Sed hoc fieri potest postea apud nostram Commissionem, non ut mutentur res, sed ut brevietur. Ergo quaero a Vobis: placet ne Vobis quoad substantiam et praesertim quoad aliud particulare, ne confundantur Praelatura cum Ecclesiis personalibus, hic canon qui confectus est ab Em.mo Ratzinger? Illi quibus placet elevent manum.

Placet 36 supra 50 ut tamquam canon 341 bis loco ponatur sequens textus, saltem quoad substantiam:

« § 1. Ad aptam presbyterorum distributionem promovendam aut ad peculiaria opera pastoralia pro diversis coetibus socialibus perficienda, Praelaturaes personales ab Apostolica Sede utiliter erigi possunt, quae Presbyteris et Diaconis cleri saecularis constant.

§ 2. Praelatura personalis regitur statutis ab Apostolica Sede conditis, eique praeficitur Praelatus sicut Ordinarius proprius cui ius est nationale vel internationale Seminarium erigendi necnon alumnos incardinandi, eosque titulo servitii Praelaturaes ad ordines promovendi.

§ 3. Conventionibus cum Praelatura initis laici, tum viri tum mulieres, tum caelibes, tum matrimonio iuncti, operibus apostolicis Praelaturaes personalis sese dicare possunt.

§ 4. Praelatus, initis conventionibus cum Ordinariis locorum, in quorum Ecclesiis particularibus membra Praelatura sua opera pastoralia vel missionalia exercent, prospicere debet ut iura Ordinariorum locorum serventur ».

— Committitur, praeterea, Secretariae Commissionis ut videat de opportunitate et modo redigendi canonem, vel aliquid saltem dicendi, circa Dioeceses personales et Vicariatus castrenses.

Quoad terminos, habetis aliquid proponendum iam nunc?

CARD. RATZINGER

Non insistere in verbis sed solummodo in nucleo rei, quam nunc etiam tu explicasti. Quaestio solummodo erat — et ego relinquere vellem menti aliorum qui magis competentes sunt — utrum nunc forsitan necessarium esset de dioecesibus a Concilio dictis personalibus, sicut est Vicariatus castrensis, aliquid dici. Hic est sensus huius canonis 339 bis. Nihil in verbis insisto, sed quaestio solummodo est utrum — quia Vicariatus castrensis existit — etiam aliae, ut ita dicam, dioeceses personales, sed si aliquid — quia revera existunt tales Ecclesiae particulares — aliquid dicere oporteat et, sequendo consuetudinem iam existentem, de Vicariatis castrenibus loqui. Ego propono terminum « Vicariatum personale ». Et si aliquid melius invenitur, contentus sum.

CARD. FELICI

Bene. Antequam supponamus hanc novam propositionem, quae non est satis enucleata, Em.mus Bafile hic vult aliquod verbum facere, non de re, quia discussio iam praecessit ...

CARD. BAFILE

Circa expressionem « Vicariatus personales », ad hanc locutionem clariorem reddendam, ita ut comprehendat non solum Vicariatus castrenses sed etiam Praeposituras pro immigratis, pro aliis classibus, potest fortasse dici: « Vicariatus personalis seu peculiaris Praepositura pro determinatis coetibus ».

CARD. FELICI

Est alia propositio?

CARD. RATZINGER

Quia terminologia non adhuc matura est, videtur simpliciter votari posse utrum de dioecesis personalibus aliquid in Codice dicendum sit, an non, et relinqu postea forsitan Commissioni formam, eligere terminum aptiorem.

EXC.MUS HENRÍQUEZ

Petii loqui ante votationem, quia bene non video quomodo reformatur can. 341, qui agit de Paroeciis, quia agitur de Praelatura. Non est locus mutationi canonis 341, qui agit de paroecia, non de praelatura, quae est plus quam paroecia.

CARD. FELICI

Mirum! Can. 341?

EXC.MUS HENRÍQUEZ

Si, agitur de paroeciis.

CARD. FELICI

Sed locuti non sumus de hac re, ni fallor!

EXC.MUS HENRÍQUEZ

Can. 341 bis; hic agitur de paroeciis. Non est locus quoad mutationem. Can. 341, § 1, uti est in Codice dicit: « Quaelibet Dioecesis aliave

Ecclesia particularis dividatur in distinctas partes seu paroecias»; can. 341 § 1! Proinde non video quomodo in hoc canone inseratur quaestio de Praelaturis.

CARD. FELICI

Ergo, non existunt Praelatura?

EXC.MUS HENRÍQUEZ

Non! Non! Addidi ego: non video locum « de Praelatura » in paroeciis. Est res valde diversa.

CARD. FELICI

Sed de Praelatura non est a me factum verbum. Praelatura, uti hic est, non est admissa; est admissa ex maioritate legitima propositio Card. Ratzinger.

EXC.MUS HENRÍQUEZ

Bene. Sed Vicariatus non est paroecia. Ante votationem, videndo extum votationis, credo quod in re difficillima debemus votare scripto: « placet », « non placet », vel « placet iuxta modum ».

CARD. FELICI

Sed quaenam est tua propositio? Non reminisceris? Exc.mus Henríquez Mea propositio est: 1 ante votationem ...

EXC.MUS CASTILLO LARA

Quod dicit Exc.mus Henríquez est quoad locum ubi collocari debet canon approbatus: non est post canonem, qui agit de paroeciis.

CARD. FELICI

Bene! Hoc videbitur postea. Est quaestio systematica. Nos volumus scire substantiam rei. Locus videbitur aptior.

EXC.MUS HENRÍQUEZ

Est alia quaestio. In rebus difficillimis, debemus votare scriptis: « placet »; « non placet »; « placet iuxta modum », quia, si dicitur simpliciter « placet hoc », non habemus possibilitatem ullam votare « non placet ».

CARD. FELICI

Bene. In *Ordine procedendi* hoc scriptum est — bene scio — attamen hoc fieri potest cum propositiones dantur *recte* et *praecise*. Veruntamen, in propositionibus datis plerisque, nescitur quid suffragandum sit, et eruendum est ex variis argumentis datis. Quapropter illa forma suffragandi aliquo modo substituta est hac, videndo in primis utrum placeat textus. Quod, si pluribus et quandoque longe pluribus placuit textus, modi non requiruntur. Si quis dicit: « ego volo ut suffragetur haec mea propositio », possunt quidem modi dari, sed modi existunt quando non est maioritas data. Si maioritas data est, modi possunt examinari; nos examinavimus. Non? Secus noster labor protraheretur in infinitum. Examinabimus, sed substantiam rei tangere non possumus. Utique, aliqua mutatio facta est. Sinas, Exc.me, sumus in Commissione, non sumus in Synodo vel in Concilio, ubi res definienda sit. Debemus scire mentem eorum qui sunt in hac aula. Et quamvis initio praevidit Secretarius — et ego — quod haec ratio posset fieri, nunc in actu debemus aliquo modo ita agere ut bene procedamus. Ego, v.g., hoc nolebam dicere, sed tamen debedo dicere post hanc factam observationem. Quoad observationes quae factae sunt cum 10 subsignationibus, quandoque nescitur quisnam debeat loqui pro una vel alia propositione. Et quando datur aliqua locutio, sermo est tam implicatus, tam prolixus, ut nesciamus quid debeamus proponere. Ego debedo laborare multum cum Secretario ut aliquam propositionem possim subicere Vestris suffragiis. Ergo oportet, excusate me, oportet ut procedatur modo quo ad finem perduci possit, secus fit quod fit in quibusdam Parlamentis: res in infinitum pertractabitur. Et hic non est finis nostrae Commissionis. Est pure consultiva! Ego excuso me, sed debedo hoc dicere. Sciebam ita esse. Sed tamen ego auspicabar rem esse processuram diverse in hac nostra discussione. Vos bene scitis si tempus est breve. Tandem aliquando non possumus hic sedere per duos vel tres menses! Non? Et ex alia parte hic labor fit, uti iam dixi, postquam multae consultationes factae sunt! Non sumus nos! Ego etiam, uti vidistis, quandoque contrarius fui suffragio. Non? Parcatis mihi! Si vultis facere ut dicit nunc Exc.mus Henríquez ut possibile est, nos faciemus. Sed tunc sedebimus hic usque ad mensem decembris.

Cardinalis Siri vult loqui.

CARD. SIRI

Ni fallor, huc usque Ecclesia constituit Praelaturas, sed pro fidelibus qui stabile domicilium non habent: uti militares, ita dicti « zingari ». Supe-

rioribus saeculis fuerunt quidam ordines religioso-militares, qui quandam figuram habebant Praelatura. Quaestio est, mea humili sententia, si potest constitui Praelatura quae sit universalis, et de hoc oportet bene ponderare rem, sive circa structuram, sive circa antecedens quod crearetur in Ecclesia; mihi videtur hoc esse punctum quod ingerit multas dubitaciones in Patribus. Duxi. Gratias.

CARD. FELICI

Gratias. Sed de hac re discussum est, Em. me. Ergo de quaestione proposita a Cardinale Ratzinger, de verbo adhibendo, videbimus postea in usu verborum in nostro Codice. Est res minoris momenti. Sed quoad hoc argumentum, ni fallor, indicatio data est a maiestate. Postea videbimus; supponemus S. Pontifici. Nam ab ipso dependet etiam rem dirimere. Nostrum erat tantum dare aliquas indicationes. Indicationem saltem maiestatis habemus. Sunt plerique qui aliter cogitant et propterea etiam haec sententia supponetur S. Pontifici. Omne « verbale » quod fit de his quaestionibus praesentabitur S. Pontifici, cum summa fidelitate, et si S. Pontifex censeat minorem esse partem sequendam, ipse statuet et nos oboediemus! Tunc possumus transire ...

Transeamus ad aliud argumentum: 7a quaestio - « de confessionibus mulierum ».

EXC.MUS CASTILLO LARA

Ego in conscientia debo notum facere Patribus quod in votatione, quomodo facta est, suppressae sunt penitus dioeceses personales. Est principium territoriale arctius ac in Concilio Vaticano, tanquam unicum criterium pro ...

CARD. FELICI

Non, non, non!

EXC.MUS CASTILLO LARA

Momentum unum! Quia nullibi hoc dicitur. Videatis: in § 2, can. 339, qui suppressus fuit simpliciter, dicebatur: « Attamen, uti de iudicio supremae Ecclesiae auctoritatis, auditis quarum interest Episcoporum Conferentiis, utilitas id suadeat, in eodem territorio erigi valent Ecclesiae parti-

culares ratione ritus fidelium distinctae ». Hoc suppressum fuit penitus, in votatione, et nullibi in canonibus dicitur quod possunt erigi Ecclesiae particulares vel dioeceses, quae alio criterio quam territorio factae sint. Ergo in hac votatione, uti facta est, ego accepto et acceptavi quod Praelatura personalis ut proponebatur, suppressa sit. Sed in votatione caput mutilatum est.

CARD. FELICI

Non! Exc.me Domine, nam ut ego animadvertissem antea, res respicit Praelaturam personalem, quapropter reliqua manent.

EXC.MUS CASTILLO LARA

Non!

CARD. FELICI

Reliqua manent! Sed votatio est facta intuitu Praelature personalis. Nam, haec erat quaestio agenda. Nonne videtur Vobis, Patres?

EXC.MUS CASTILLO LARA

Eminentia, sed si erat haec quaestio, debebat dici: « supprimitur haec clausula non supprimitur tota paragraphus », quia votatio valet quod sonat.

CARD. FELICI

No! Ego dixi antea quaestionem respicere Praelaturam personalem. Iam dixi antea. Nonne, Patres? Mihi videtur! Ergo. Non cetera quae pertinent ad Vicariatum vel ad alia ... sed non suppressae sunt. Non?

EXC.MUS CASTILLO LARA

Non debet interpretari votatio.

CARD. FELICI

Non! Quia practice praevaluit sententia ex maiestate, non maxima quidem, praevaluit sententia Cardinalis Ratzinger, quae non tollit hanc

partem. Respicit tantummodo Praelaturam personalem. De hac re erat quaestio.

EXC.MUS CASTILLO LARA

Eminentia, in hoc canone debebat alio modo fieri votatio.

CARD. FELICI

Oh! Mi Deus! Dicas Eminentissime.

CARD. RATZINGER

Quod Exc.mus Dominus dicit: ego proposueram secundam votationem fieri ubi — aliquo loco a Commissione inveniendo et cum terminologia ab ea invenienda — aliquid de dioecesibus personalibus dicendum sit. Et etiam ego video, si solummodo sit novus canon insertus et duae paragraphi simpliciter delentur, numquam de dioecesibus personalibus locutionem fieri. Et qua de causa iam proposueram aliquam secundam votationem generalem ut mentio adaequata fiat de dioecesibus, dicamus, personalibus. Sed videtur — et haec forsan idea Em.mi Praesidis fuit — hoc mihi ipsi patere, et si res ita se habeat suffragatio non est necessaria. Nescio!

CARD. FELICI

Ego hanc intentionem habui tractandi in iis canonibus, qui agunt de omnibus rebus, loquendi de hac Praelatura personali, quae erat in discussione. Nam, quomodo legitur in hoc? « De Praelatura personali », non de aliis rebus! Cum non obtinuerit primus canon, ni fallor, quod aequiparatur Praelatura personalis cum dioecesi, postea videndae erant aliae propositiones quae sufficerent, aliquo modo, hoc quod deletum erat, sed cetera manent. Evidenter. Dicas Em.me.

CARD. PARECATTIL

Revera ego ipse habui dubium, de quo Exc.mus Secretarius locutus est, quia, cum habuimus votationem de can. 339, fuit suffragatio de toto canone. Ergo secunda pars: « attamen, ubi de iudicio supremae Ecclesiae auctoritatis, auditis quarum interest Episcoporum Conferentiis, utilitas id

suadeat, in eodem territorio erigi valent Ecclesiae particulares ratione ritus fidelium distinctae », an valet haec pars canonis? Velim scire. Prima pars § 2 huius canonis, i.e. 339.

CARD. FELICI

Repetit: prima pars § 2 can. 339. « Item etc., usque ad finem paragaphi ». Ego eram, saltem essem, convictus, salva reverentia erga omnes, quod tantum de his Praelaturis sermo agendus esset. Solum de hoc, non? Dicas Em.me.

CARD. MUÑOZ VEGA

Ego quoque intellexi votationem factam esse ad mentem Cardinalis Ratzinger, qui in § 2, cum agit de hoc canone 339 § 2, quod petierat est ut deleantur in omni casu verba: « item ... ubi animarum cura id requirat, etc ». Agebatur ergo de delenda vel non hac parte huius paragraphi: Sic ego intellexi.

CARD. FELICI

Etiam ego; et praeposui antea. Praeposui antea. Dicas Card. Höffner.

CARD. HÖFFNER

Sed revera diximus § 2 can. 337, i.e. « Praelatura personalis, e.g., ut huiusmodi sunt Praelatura castrenses, quae etiam Vicariatus vocantur »; hanc paragraphum reieciimus, id est, ad mentem nostrae Commissionis Praelatura castrenses non iam sunt possibles. Et, breviter, proinde propono ut aliqua suffragatio fiat de novo proposito can. 339 bis, ubi agitur *de vicariatu personali*, i.e. alius terminus ponitur. Sermo est, uti dicere possumus, est terminologia alterna de Praelatura personali. Sed terminus nunc esset « Vicariatus personalis » et non iam Praelatura, in canone bis. Tunc Commissione nostra expressit mentem suam, quod etiam aliqui volumus.

CARD. FELICI

Sed sinas, Em.me Pater. Nos antea suffragationem fecimus circa hanc et, postquam examinati sunt canones iam praeparati, suffragationem fecimus circa can. 341 bis, qui agit de ipsis Praelaturis personalibus, eo

sensu, contrario quidem, quae sint aequiparanda Ecclesiis particularibus. Non? Hanc suffragationem fecimus! Deinde Em.mus Cardinalis Ratzinger, ego quaesivi ex eo, quid vellet pro illo nomine « Vicariatus ». Sed, post auditos aliquos, diximus quod de verbo erit quaestio deinde in Commissione. Nam omnia componenda sunt cum systemate Codicis quoad terminos qui in Codice videbuntur. Ni fallor, non fecimus votationem circa hoc. Nam ipse Card. Ratzinger consentit in hanc meam propositiōnem: postea fiet ut loquatur, ut sermo sit de Vicariatibus et ut idem nōmen tribuatur aliis formis similibus, quae tamen sunt differentes a Praelaturis personalibus ut agitur in nostro Codice. Ne confundamus res, Patres Venerabiles! Iam propositum fuerat primo: utrum placeret Praelaturas personales erigi quae aequiparentur Ecclesiis particularibus, et dictum fuit a maioritate: Non! Deinde sub hac luce, alios canones ego proposui. Hoc intelligebatur. Non poteramus delere canonem, qui alia statuit, propter hoc. Quaestio posita est de Praelatura personali; non de aliis rebus. Et habuimus suffragationes circa hanc rem. Ultimo: ut aliquid haberemus prae mentibus quod in Codice traduceretur — si S. Pontifici placuerit — petivi a Cardinali Ratzinger ut suam formulam proponeret circa hanc Praelaturam personalem, quia de hac re agebatur! Ego dixi in initio, sed nescio utrum memoria me fallat, sed ego dixi in initio; quapropter aliquos canones nōlui nec legere. Alios debui legere quia continebant mentionem de Praelatura personali. Hoc egi ego. Nunc, veniunt quaestiones! Ego possum acceptare omnes quaestiones, sed tamen ut explicem meam lineam. Ut habeantur ideae clarae circa punctum quod est in maxima controversia hodie in Ecclesia. Aliae res non sunt in discussione.

CARD. RATZINGER

Forsitan, post interventionem Exc.mi Domini Secretarii, necessarium est dicere, Vicariatus castrenses aliasque dioeceses a criterio non territoriali pendentes locum suum non simpliciter perdere in novo Codice ...

CARD. FELICI

Oh non! non! non!

CARD. RATZINGER

... sed locum suum servare, sed terminologia aptior invenienda!

CARD. FELICI

Oportet canonem bene mutare in parte quae respicit has Praelaturas personales; oportet mutare iuxta sententiam tuam quae probata est a pluribus; postea sermo fiet de Vicariatibus, loco aptiore. Noluimus delere Vicarius castrenses. Qui ceterum illic nominantur tamquam exemplum, quod exemplum a te repudiatum est! Nescio utrum me explicaverim. Clarius dicere non possum! Si quis habeat aliquod lumen maius afferendum dicat ... Mihi placet ut res clarae maneant. Est ne aliqua obiectio circa hoc? Ergo transeamus ad ...

* * *

ANIMADVERSIONES SCRIPTO MISSAE VEL TRADITAE

CARD. KÖNIG

Circa Praelaturas personales. I. Sicut heri nobis commendatum est, iterum consideravi quaestionem quae nunc pertractamus. Agitur quidem de structura pastorali, quam Concilium voluit et, cum sit figura iuridica nova, logicum appareat quod quidam mirentur. Attente quidem ponderavi rationes in Aula expositas et, omnibus perpensis, mea sententia plene concors est cum dictis ab Em.mo Card. Baggio. Etiam ego censeo canones schematis, uti iacent, perfectam fidelitatem servare erga Concilii doctrinam necnon erga documenta exsecutiva a Sancta Sede lata. II. Dictum est neminem fieri membrum alicuius Ecclesiae particularis propter suas intentiones subiectivas, sed semper et exclusive ob certa criteria obiectiva, qualia sunt domicilium, ritus vel servitium militare. Sed, imprimis, hoc est notandum: Praelaturaes personales non sunt theologice neque iudice Ecclesiae particulares, sed tantum iisdem aequiparantur modo valde limitato; deinde vero obiectio facta satis piae oculis habere non videtur omnia criteria dicta « obiectiva » esse ultimatum voluntaria, quia, ex. gr., unusquisque libere seligere potest proprium domicilium vel ipsum mutare; unusquisque pariter potest, servatis de iure servandis, ab uno in alium ritum transire; et unusquisque demum libere assumit professionem militarem, et cadit sub iurisdictione Vicarius castrensis a momento ipso quo, libere etiam, tamquam candidatus ad militiam admittitur ab auctoritatibus militaribus. III. Animadversiones etiam motae sunt relate ad relationes cum Ordinariis localibus. Videtur mihi hac de re non satis consideratum esse quod: 1um) Sicut heri recoluit Em.mus Card. Felici, hae Praelaturaes personales erigi valent unice « de iudicio supremae Ecclesiae

auctoritatis » (cfr. can. 339, § 2), ad cuius prudentiam pertinet iudicare singulis in casibus de vi et pondere rationum pastoralium quae suadeant erectionem harum Praelaturarum. 2um) Sed statuitur etiam in schemate (can. 339, § 2) has Praelaturas erigendas esse « salvis iuribus Ordinariorum locorum », qua de re Sancta Sedes attente quidem curabit in earum constitutione et ordinatione. Dependentia praterea a S. Congregatione pro Episcopis in tuto ponit quod haec iura integra servabuntur. 3um) Dicitur denique in can. 335, § 2 has Praelaturas personales aequiparari in iure Ecclesiae particularibus « iuxta statuta a Sede Apostolica condita »: his vero in statutis bene determinabuntur singulis in casibus elementa necessaria ut Praelaturaie accommodentur ad normas generales iam videntes circa ipsas, iuxta Concilium et documenta exsecutiva Sanctae Sedis. Inter haec elementa absdubio considerari debebunt relationes cum Ecclesiis localibus et cum earum Ordinariis, quapropter lex generalis, id est Codex, descendere nequit ad res nimis particulares, quales essent determinationes circa taxas a fidelibus solvendas, vel circa Rationem institutionis clericorum, etc. IV. Has omnes considerationes propono attenta exclusive ea quae est missio nostra: perpendere nempe has normas iuris generalis, seu Codicis Iuris Canonici; neque influxum patior aliorum factorum. Relate enim ad casum concretum, cuius heri facta est mentio in hac Aula, censeo - uti iam ab aliis dictum est - incongruum esse ut meum iudicium influxum patiatur alicuius libelli anonymi et veritati non respondentis, quem recepi. Ergo concludo: serventur uti iacent cann. 335-339 schematis, qui elaborati sunt post tot consultationes et studia.

FRANCISCUS Card. KÖNIG

CARD. RUGAMBWA

Circa canones 335, 337 et 339 « De Praelaturis personalibus ».

1. Placet ut hi canones serventur uti sunt, sine ulla modificatione, quia bene respondent ad mentem et ad praescripta Concilii Vaticani II, a quo recedere minime possumus. Statuitur enim in Decreto *Presbyterorum Ordinis* possilitas ut utiliter erigantur Praelaturaie personales ad peculiaria opera pastoralia perficienda: cfr. n. 10 huius Decreti. In Decreto *Ad gentes*, de activitate missionali Ecclesiae, bis consideratur opportunitas harum Praelaturarum. Imprimis in n. 20, ubi dicitur: « Si autem in quibusdam regionibus coetus hominum inveniuntur, qui a fide catholica amplectenda eo arceantur, quod formae peculiari quam Ecclesia ibi induerit, sese accommodare nequeant, in voto est ut tali condicioni specia-

li modo provideatur ». Hic autem specialis modus his verbis describitur in nota ad calcem: « ad peculiaria opera pastoralia pro diversis coetibus socialibus faciliora reddenda, praevidetur constitutio Praelaturarum personalium, inquantum ratio apostolatus peragendi id postulaverit (et fit remissio ad Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 10) ». Eodem sensu fit referentia ad textum Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 10 in nota ad numerum 27 Decreti *Ad gentes*, immo vero, in hoc loco agitur non solum de Praelatura, verum etiam de Dioecesi personali.

2. Transferre canones de Praelaturis personalibus ad Sectionem III Libri II Codicis, uti proponitur in animadversione, significaret depauperare divitias contentas in his textibus conciliaribus; nam Praelaturaes personales non amplius intelligerentur tamquam structurae pastorales Ecclesiae, ad peculiaria opera apostolatus peragenda, sed solummodo, ut in animadversione dicitur, tamquam organa mere administrativa ad meliorem cleri distributionem procurandam. Hic autem non mihi videtur esse finis a Concilio intentus.

3. Quae de Praelaturis statuuntur recte a Commissione redacta sunt, quia plene servantur doctrina atque mandata Concilii; sed praeterea canones prudenter confecti sunt, quia criterium habituale circumscriptionis esse pergit territorium, et haberi quidem possunt Dioeceses personales, sed solummodo pro fidelibus eiusdem ritus vel in certo territorio habitantibus: pro aliis vero structuris pastoralibus indolis personalis alveus apparatur intra ambitum Praelaturarum personalium (quae non vocantur Ecclesiae particulares neque iisdem theologiche vel iuridice assimilantur, sed ipsis solummodo *aequiparantur in iure*, et quidem modo limitato), ita quidem ut iudicium singulis in casibus de opportunitate eas constituendi ad unam supremam Ecclesiae auctoritatem pertineat, et aptae cautelae adhibeantur ut iura Ordinariorum locorum integra semper maneant.

4. Ideoque standum est pro Concilio, cuius praecepta ad effectum deducere debemus, et non sunt timenda pericula quae videntur insinuari in animadversione, quia si revera constitutio alicuius Praelaturaes personalis provocare posset divisionem seu discriminationes in aliqua Ecclesia locali, tunc profecto talis figura a Concilio approbata non fuisset, et quidem in duobus Decretis, nempe in Decreto *Presbyterorum Ordinis* et in Decreto *Ad gentes*, in quibus respiciuntur opera pastoralia ubique terrarum atque in bonum animarum peragenda.

5. *Placet* igitur ut canones de Praelaturis personalibus maneant uti sunt in schemate novi Codicis, sine ulla modificatione; non placet vero,

quia esset depauperatio, ut huiusmodi canones transferantur ad Sectionem Tertiam Libri Secundi Codicis. Dixi.

LAURIANUS Card. RUGAMBWA

EXC.MUS PIMENTA

Die 29 octobris, seu novissima Sessionis plenariae, Exc.mus Pimenta haec scripto misit: « DE CANONIBUS 335-341. Non omnia quae licent, semper expediunt. Etsi quaestio dioecesis et praelatura personalis est quaestio iuridica et theologica, est etiam practici momenti et multas difficultates in linea practica habet. Em. Card. Krol ad alias difficultates annuit propter varias linguas in una dioecesi. Et vere iam vidimus desideria expressa in aliquibus regionibus habere dioeceses linguisticas in uno territorio. Hac in re, ego puto, debemus pree oculis habere conditiones sociales, civiles, politicas in mundo moderno. Ex una parte est magnum desiderium ubique habere et retinere independentiam politicam, ita ut nemo alienus mihi dicat quid in meo territorio ego debeam facere. Ex altera parte est phaenomenon universale emigrationis, externae et etiam internae. Et hoc gignit his diebus animositates erga migrantes, sive sint in natione non sua, sive sint in propria natione sed non in regione sua. Ut accidit sunt territoria quae experiunt inundationem, ut ita dicam, migrantium, qui multi ex una parte ad aliam transmigrant propter opportunitates laboris, et ad habendam, si possibile est, meliorem vitam. Quia non sunt tantae opportunitates laboris, nativi huic resistunt et animum contra migrantes exhibent: Salus emigrantium est in sese uniendo totaliter et sese assimilando in quantum possunt cum nativis si volunt pacifice vivere et cantare in terra aliena. Hoc in linea civili et politica. Idem dicam debet esse in vita ecclesiastica, propter conditiones adversas in re politica et civili. Ideo mea opinio est quod speciatim propter conditiones modernas multum expedit accipere principium unius iurisdictionis in uno territorio. Apud nos iam habuimus experientiam sat dolorosam manantem ex sic dicta "duplex iurisdictio", de S. Congregatione de Prop. Fide ex una parte, et de Padroado ex altera parte. Hoc autem nunc, Deo gratias, est quid mortuum et bene sepultum. Ne faciamus aliquid ut resurgat. Debemus facere omnia ut procuremus unitatem et non divisionem inter populum nostrum ubique sed maxime in uno territorio. Ergo in erigendo dioeceses vel praelaturas personales multo caute procedendum est. Omnia opera pastoralia et missionalia in uno territorio ecclesiastico fiant sub ductu unius Episcopi dioecesani ».

EXC.MUS SIMON PIMENTA